


LECTORI S.


 Esideratae sunt haecenus à studiosis discipli-
 narum Mathematicarum tabulae praestanti-
 ssimi artificis IOHANNIS Regiomonta-
 ni, quae primum caeli motum aut $\nu\chi\theta\mu\epsilon\zeta\iota\nu\theta\mu$,
 numeris accurate definitum & inclusum continent, &
 ad uniuersam siderum scientiam consequendam pluri-
 mum habent momenti. Cum enim doctrinae de astris pars
 una in corporum caelestium motibus indagandis occupata
 sit, altera de vi & efficacia horum quaedam utiliter col-
 ligat: neutra usu et adminiculo harum tabularum potest
 carere. Ac ut de praecipuo $\phi\alpha\nu\theta\mu\mu\epsilon\zeta\iota\nu\theta\mu$ diurna solum conuer-
 sionis nunc dicam, ipsa dierum noctiumque cum in eadem,
 tum in diuersis regionibus anomalia, & huius ad nume-
 ros & mensuram certam accommodatio, aliunde quam
 ex ascensionum tabulis non sumitur. Quam autem
 necessarium sit, non solum in Astronomia, sed etiam
 in omni vita, exploratè perceptam & cognitam habe-
 re dierum rationem magnitudinemque: id ita manifestum
 est, ut demonstratione nihil opus sit. Ignorato enim mino-
 ri tempore, qui sunt dies ac horae: mensium quoque & anno-
 rum spacia ignorari est necesse, quae de horarum ac die-
 rum cōacervatione legitima existunt & complentur. Ne-
 que facile est verbis exprimere, quales tenebrae futurae es-
 sent in historijs sacris & Ethnicis, quales in communi vi-